UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

De duplici morte corporis, altera bonorum, malorum altera. Scripturæ nonnulla loca dilucidantur. Colloq. IX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-50753

Visual Library

De duplici morte corporis, altera bonorum, malorum altera.

Scripturæ nonnulla loca dilucidantur.

COLLOQVIVM IX.

THEO. ATQVE quo accuratiorem aliquanto ſingularũ huius quæſtionis partium anatomin inſtituamus, licet hoc loco obiter duo genera mortis corporeæ conſtituere, & timorẽ quẽ nobis mors incutere ſolet, in duas ſpecies partiri. Altera ergo bonorum propria eſt, quãdo videlicet iuſtus Adam corpore exolutus, in ſepulchro non aliter quam in lecto ſuo cõquieſcit, & generalis Iudicij tempus præſtolatur: quæ propter ſimilitudinem quandã ſomnus ferè appellatur: adeoq; ea eſt, cuius Propheta Regius commeminit, *Pretioſa in conſpectu Domini mors SS. eius.* Hanc etſi neceſſaria etiam corporis diſſolutio ac putrefactio excipiat, vt animæ à corpore ſeparationem, & ſenſus illã etiã communis auerſetur, nos tamẽ eã modis omnibus expetere debemus: quippè cum per eam mundo hoc exeuntes,

Mors bonorum ſomnus eſt & porta cæli.

Pſal. 115. 15.

Mors iuſtorum Deo accepta.

gloriæ æternæ poſſeſſionem accipi-
Ap.14.13 amus. *Beati qui in Domino moriuntur* ait S. Ioãnes; ac ſi dicat, Beati omnes illi ſunt, qui vitam ſuam exigunt ac finiunt per patientiam mortis iuſtorum. Atque hanc etſi ij quoque expetunt, qui improbum vitæ genus conſectantur; virtutum tamen frenos ſibi inijci non patiuntur, quibus in rationis gyrum exorbitãtes compellantur; & cum manna commedere deſiderent, mare tamen rubrum tranſire nolunt, adeoq́ue gloria & brauio gaudere, merito nullo præcedente; & coronam accipere caput non habentes concupiſcunt. Ex eorum admodum numero erat improbus ille Propheta Baal, qui exitum ſuum iuſtorum & filiorum Dei deceſſui ſimilem eſſe optabat: intelligens videlicet, mortem illorum exemptionem eſſe ex ærumnis huius vitæ & portam quietis ſempiternæ; verùm non deſiderabat ille ſanctè ac religiosè viuendo, quo ad eam perueniret, anniti: & licet iuſtorum lectum conſcendere optaret quam ſuauiſſime in eo quieturus, & ab huius

Improbi vt iuſti mori volunt, non autem vt illi viuere.

Num.23.10.

ius

ius terreſtris pelagi fluctib' ac quaſſationibus reſpiraturus, in peccatorum nihilominus habitaculis cōmorabatur & eorum menſæ accumbebat. Altera verò mors ex diametro huic oppoſita, improbis & peccatoribus propria eſt, quam nihil aliud eſſe dicimus, quam finē & clauſulam vitę in omni genere ſcelerum traductę, & aditum ad mortem ſempiternam: de qua idem Propheta loquitur dicens, *Mors peccatorum peſſima*. Hanc videlicet nos non aliter quam præſentiſſimum malum & capitalem peſtem fugere decet, cùm omninò aliud non ſit, quam improbitas abſque vlla reſipiſcentia ſumma atque exaggerata, & extrema veraq́; vindicta numinis diuini irritat'.

De duplice mortem metuendi genere, et naturali illius metu omnibus ſenſu præditis communi.

COLLOQVIVM X.

NVNC quemadmodum duo corporeæ mortis genera cōſtituimus, ita duplicem quo-